

„Cum adhuc servirem, habitabamus in vico angusto; nunc Gavillae domus est. Ibi, quomodo dii volunt, amare coepi uxorem Terentii coponis. Noveratis Melissam Tarentinam, pulcherrimum bacciballum. Sed ego non, mehercules, corporaliter aut propter res venerias curavi, sed magis, quod benemoria fuit. Si quid ab illa petii, numquam mihi negatum. Fecit assem, semissem habui. In illius sinum demandavi, nec umquam fefellitus sum. Huius contubernalis ad villam supremum diem obiit. Itaque per scutum, per ocream egi, aginavi, quemadmodum ad illam pervenirem, nam, ut aiunt, in angustiis amici apparent.

Forte dominus Capuae exierat ad scruta scita expedienda. Nactus ego occasionem persuadeo hospitem nostrum, ut mecum ad quintum miliarium veniat. Erat autem miles, fortis tanquam Orcus. Apoculamus nos circa gallicinia, luna lucebat tamquam meridie. Venimus inter monimenta. Homo meus coepit ad stelas facere. Sedeo ego cantabundus et stelas numero. Deinde, ut respexi ad comitem, ille exuit se et omnia vestimenta secundum viam posuit. Mihi anima in naso esse, stabam tamquam mortuus. At ille circumminxit vestimenta sua et subito lupus factus est. Nolite me iocari putare! Ut mentiar, nullius patrimonium tanti facio. Sed, quod coeperam dicere, postquam lupus factus est, ululare coepit et in silvas fugit. Ego primitus nesciebam ubi essem, deinde accessi, ut vestimenta eius tollerem, illa autem lapidea facta sunt. Qui mori timore, nisi ego? Gladium tamen strinxi et in tota via umbras cecidi, donec ad villam amicae meae pervenirem. In larvam intravi, paene animam ebullivi, sudor mihi per bifurcum volabat, oculi mortui, vix umquam reffectus sum. Melissa mea mirari coepit, quod tam sero ambularem, et: ‘Si ante — inquit — venisses, saltem nobis adiutasses. Lupus enim villam intravit et omnia pecora tamquam lanus, sanguinem illis misit. Nec tamen derisit, etiamsi fugit, senius enim noster lancea collum eius traiecit’. Haec ut audivi, operire oculos amplius non potui, sed luce clara Gaii nostri domum fugi tamquam copo compilatus. Et postquam veni in illum locum, in quo lapidea vestimenta erant facta, nihil inveni, nisi sanguinem. Ut vero domum veni, iacebat miles meus in lecto tamquam bovis et collum illius medicus curabat. Intellexi illum versipellem esse nec postea cum illo panem gustare potui, non si me occidisses. Viderint, quid de hoc alii exopinissent. Ego si mentior, genios vestros iratos habeam.”